



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

19. Loca Augustini explicantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

causam, cur hic & nunc Deus influat opus, tum per dona sua, tum per se ipsum, non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hic, & nunc influat. Non enim ideo hic, & nunc fit hoc opus, quia Deus absolute vult illud hic, & nunc fieri, aut gratia ex se determinat voluntatem, ut hic, & nunc illud faciat: sed quia voluntas diuinitus preparata vult hic, & nunc illud facere, non tamen solis naturæ viribus liberum arbitrium est illius causa, sed vna cum viribus gratiæ, sicut vicium gratia est causa cur opus sit supernaturale fuisse ostensum est. Hinc tamen non sequitur nos proprie trahere Deum ad operandum, quia Deus nos ante traxit quamuis id sensu quodam admitti possit, quatenus liberum arbitrium est causa cur hic, & nunc Deus influat in opus, ut dictum est. Vnde Gregor. Arimin. dicit Deum sequi determinationem voluntatis. Ad alium locum Pauli patet ex dictis supra §. Superiori.

SVBSEG TIO XIX.

Loca Augustini explicantur.

496 **A**D Augustinum priusquam respondeam suppono certum esse eum nunquam sensisse Deum directe, & proprie inclinare voluntatem ad malum actum, sicut de Iudeis ipse ait *trist. 53. in Ioan.* fecerunt peccatum quod eos non compulsi facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse præsciuit, similem Doctrinam frequenter repetit Augustinus, semperque exponit similes locutiones sacre Scripturæ de permissione ut videre licet *epist. 105. & 106. & de prædest. & grat. cap. 4. & seq. ad Simplic. quæst. 2. ad artic. sibi falso impositos sæpe*, ubi notatu dignum est, nec Augustinum, nec Prosperum respondendo ad obiectiones dixisse Deum esse autorem peccati pro materiali, non pro formali, sed simpliciter negasse à Deo nos moueri ad malas voluntates, vel actiones: in locis ergo in obiectione citatis nihil habet Augustinus huic doctrinæ contrarium, sed in primo loco merito distinguit inter patientiam, & potentiam Dei; nam Paulus, quem ipse citat illa distinguit, sensus autem distinctionis est, quod Deus quosdam expectat per patientiam tantum, ut eorum misereatur, alios deserit etiam per potentiam, quia supposita eorum malitia, vult eos acriter punire; itaque per patientiam expectare Deum, nihil aliud est, quam non statim punire, quod præcise sumptum potius est opus misericordiæ quam iustitiæ, iuxta illud: ignorans quia benignitas Dei ad penitentiam te adducit, vnde hoc modo per patientiam expectare non est desistere, nam proprie desistere est opus iustitiæ; vnde constat quid sit per potentiam tradere hominem desideriis suis, est enim illum desistere, hoc autem non est per potentiam inclinare voluntatem hominis ad malum actum; sed est Deum potentia sua hominem accerrime punire, primum non agendo sed relinquendo, & postea efficiendo ut homo suam propriam voluntatem implens ea maxime torqueatur, quod est signum maxime potentiæ Dei, & ideo dicitur in hoc potentiam suam manifestare deserendo hominem, & vitiis ac desideriis suis illum tradendo, ut tandem in illo diuina ira, & iusti-

I. P. Tom. II.

tia manifestetur, iuxta illud in hoc ipsum excitauit te, ut ostendam in te virtutem meam; & illud, quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam. Rursus quod Augustinus ait, vel deserendo, vel alio quouis modo, ideo dixit, quia ut declarauit, Deus non solum non agendo, sed etiam aliquid exterius, vel interius operando id facit, vel offert homini, quod illi est occasio ruinæ, quam licet Deus non intendat, nec ad illam directe inclinet, tamen admirabili potentia, & iudicio occultissimo vititur, dum id operatur in homine, & in corde etiam hominis, quod licet de se bonum, & sanctum sit, & ad id, quod honestum est inclinans, tamen ipsi homini futurum est in scandalum, & occasionem ruinæ, ita exponit Divus Thom. *lect. 3. ad Rom. 9.*

Ad alium locum Augustini primum responderi 497 potest eodem modo ex generalibus principiis positis, sed ut clarius in speciemens August. intelligatur, aduertendum est in principio capitis, in particulari loqui de voluntatibus Angelicis, has enim videtur intelligere cum ait: verum etiam cas, scilicet voluntates, quæ conseruant seculi creaturam, quamuis extendi id possit ad quascumque voluntates Principum, & Potentium, has ergo voluntates ait Augustinus inclinare Deum, vel ad beneficia præstanda, vel ad pœnas ingerendas, vtrumque autem fieri potest sine malitia voluntatis, & ita ex hoc capite non sequitur inclinare Deum voluntatem ad actum malum.

Quia vero interdum punit Deus quosdam per 498 malas voluntates aliorum, addit Augustinus mirabilem quendam modum dicens: interdum Deum voluntatem iam vitio suo malam inclinare in hoc peccatum potius, quam in aliud, ut talem hominem puniat, vel affligat, vel interdum etiam, ut à tanto malo eum liberet, vel alios fines providentiæ suæ, v. g. cum Dæmon paratissimus sit ad tentandos, vel affligendos homines, inclinat eum Deus, ut hunc potius, quam illum affligat, & de Semel ait Aug. fuisse hoc modo inclinatam à Deo ad maledicendum Dauid, quia iam suo arbitrio odium Dauid conceperat, & voluntatem ei nocendi habebat, optimum exemplum est in fratribus Ioseph, qui iam decreuerant eum interficere, Ruben eis persuasit, ut non effunderent eius sanguinem, sed in cisternam viuum immitterent, & postea transeuntibus Madianitis, Iudas fratres induxit ut eum venderent potius, quam ibi mori fierent; Hæc ergo inclinatio illarum voluntatum in tale obiectum recte potuit esse ex speciali Dei providentia, & excitatione, de qua Augustinus loquitur, non de prædeterminatione physica, & ratio est, quia hoc modo voluntatem iam per se malam ex suo libero decreto inclinare ad hoc, vel illud obiectum, non est per se malum, imo potest esse honestum si ad minus malum inclinatur, ut in exemplo dato apparet, vel interdum etiam satis erit, ut malum sit eiusdem rationis, & gravitatis, solumque materialiter diuersum, ut si voluntas Principis decreuit inferre bellum, & depraedari quicquam possit, non est malum inclinare illam ad hanc gentem potius, quam ad illam, etiam si in eo non cernatur minus malum, satis enim est quod non cernatur maius, in his ergo casibus potest Deus iuxta infinitam suam sapientiam & iustitiam inclinare voluntates, vel directe interius consulendo per Angelos bonos hoc potius quam illud opus eligere, vel per Angelos malos eis facultatem præbendo limitatam, & definitam ad talem personam, vel actionem quomodo legimus se gessisse cum Dauid *Iob. 1.* ut notavit etiam Aug. *lib. 1. ad Sim-*

QQ 9 2 plic.

pro. q. 2. vel certe præbendo occasiones, ut talia obiecta repræsententur vel excitetur memoria talis personæ, aut quid simile, quo pacto statim homo pravam voluntatem prius conceptam ad talē actionem, vel personam applicat. His ergo modis intelligendus est Augustinus, cum sæpe ibi ait, agere Deum in cordibus hominum etiam motus voluntatis eorum, scilicet, cum motus est bonus, directe illum intendendo, cum vero est malus vel permittendo solum, vel intendendo etiā, ut voluntas iam ex se prava, & ad malum determinata, in hac re potius, quam in alia se exerceat; ita fere rem hanc explicuit Aug. Victor. lib. 1. de sacram. p. 5. c. 29.

499 In tertia obiecto ne proposita duo petuntur, quæ breviter explicanda sunt, primum quomodo voluntas Dei se habeat ad actum peccati, seu quomodo ad illum præbeat concursus. Secundum quæ sit differentia inter concursus, & prædeterminationem.

500 Prima pars huius difficultatis manifeste declaratur aduertendo Deum non concurrere ad actum malum creatæ voluntatis medio aliquo actu voluntatis suæ, quo absolute, & efficaciter velit talem actum esse aut fieri in rerum natura, sed medio actu quasi conditionato quo vult talem actum fieri, & in eum influere si voluntas creatæ in illum etiam influxerit, unde ex vi talis decreti, seu actus voluntatis suæ Deus non determinat concursus ad actum malum solum, sed indifferenter applicat potentiam suam executivam ad hunc, vel illum actum, ad quem voluntas creatæ sese applicuerit, & postea in tempore ex vi illius applicationis, & voluntatis, dum illi sese adiungit causa secunda influit in actum malum diuina voluntas, humana simul sese determinante; hunc modum concurrendi indicauit Epiphanius hæres. 66. ubi ad vindicandum Deum à calumniis auctoris, & causæ peccati inquit iuxta permissionem liberi arbitrij omnibus propria voluntate, ut concedit, ut quisque quod voluerit faciat, itaque Deus confert generalem concursus creaturæ, non voluntate præmouente, nec voluntate absoluta, qua velit talem actum esse, sed voluntate quasi generali qua vult ad illum actum concurrere, & qua vult illum actum esse non absolute, sed subintellecta conditione, si liberum arbitrium ad illum efficiendum sese applicuerit, seu determinauerit, cum autem voluntatem illam generalem appello, non est sensus, ut quidam interpretati sunt, voluntatem Dei solum confusè versari circa actus voluntatis creatæ, volentem generatim concurrere ad actus eius, quæ interpretatio est in rigore falsa; nam in Deum non cadit confusa cognitio, unde sicut distinctissime omnia intuetur, ita sua voluntate vniuersa in particulari vel disponit vel permittit, atque ita in præfenti ad hunc actum in particulari, etiam si malus futurus sit, vult Deus concurrere volente homine.

501 Vocatur autem illa voluntas generalis, quia Deus quantum est ex se non limitat concursus suum ad illum actum, sed offert illum ad alios bonos, vel malos etiam in particulari, quos in eodem momento posset voluntas hominis habere, si vellet. Neque enim probo quod quidam aiunt, Deum de facto non habere voluntatem concurrendi in hoc instanti cum hoc libero agere creato, nisi ad hunc actum, quem præscit, voluntatem creatam operaturam. Aiunt enim Deum scientia conditionata præscire, quid voluntas creatæ effectura sit, si ipse præbeat ei consensum

& præuidens effecturam hunc malum actum, ad illum solum velle concurrere, quia superfluum est velle concurrere ad alios quos præscit hominis voluntatem non esse facturam. Hoc inquam mihi non probatur, quia si Deus de facto non offerret suum concursus ad alios actus absolute non esset in potestate proxima hominis illos efficere, & ita non esset liber ad illos efficiendos. Nec illa præscientia conditionata obstat, quia illam supponit ex parte obiecti hanc conditionem, scilicet si Deus det concursus accomodatam voluntati humanam, ipsa libere hunc actum eliciet potius, quam alium; ergo ut effectus postea libere fiat, oportet ut hæc conditio impleatur; ergo Deus non tantum ad illum actum, sed etiam ad alios debet offerre concursus, alias non implebitur conditio, & actus non erit liber saltem quoad specificationem; unde non est otiosa, aut superflua illa voluntas Dei, quandoquidem ad hoc tendit ut voluntas humana, re ipsa sit expedita ad actum cuiuscunque speciei, quem in eo instanti posset efficere. Cum autem illa voluntas sit conditionata non oportet, ut aliquid ponat in effectu non adhibita conditione, sed quod sit tantum in affectu, seu preparatione ex parte Dei.

Dices, ergo ponitur in rerum natura aliquis effectus positivus, & realis sine absoluta & efficaci voluntate qua velit Deus illum esse contra illud, omnia quæcumque voluit fecit, & illud operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, & illud Augustin. 3. de Doctor. capite 4. voluntas Dei est prima causa, & summa omnium specierum corporalium, atque motionum, & libro 85. quæstionum, quæstione 3. Hoc est aliquid fieri Deo agente quod Deo volente, & super id Psalm. 144. Iustus dominus in omnibus viis suis. Apud Deum hoc est velle quod facere, quia ex eius voluntate res habent esse; Nec videtur sufficere res conditionata, quia non solum necesse est ut Deus velit concurrere si creatura agat, sed necesse est ut Deus illam agere velit, & ita necesse est ut ipsa conditio cadat in voluntatem Dei, & ita voluntas conditionata transit in absolutam. Assumptum ostendo, quia sicut non potest creatura esse, nisi Deus velit illam esse, ita nec potest agere nisi Deus velit illam agere, tantum enim in agendo, quantum in esse à Deo pendet.

Respondetur concedendo aliquem realem effectum à voluntate creatæ fieri, quem Deus absoluta voluntate beneplaciti non vult esse.

Neque hoc est mirum, quia nec talis voluntas absoluta Dei necessaria est, ut ille effectus fiat, sicut declaratum est, nec ille effectus propter in re sit, est obiectum decens diuinam voluntatem. Neque hoc est alienum à doctrina Concilij Tridentini dicentis Deum hos actus malos operari tantum permittendo; non igitur simpliciter volendo illos. Idemque fere est, quod Augustinus, & alij Sancti dicunt Deum esse auctorem omnium potestatum, non autem omnium voluntatum, scilicet actualium, seu volitionum; si ergo illarum auctor non esset, neque illas simpliciter vult. Denique idem est, quod Diuus Thomas dixit hos actus non esse ex voluntate Dei consequente, & beneplaciti, neque contra illam, sed præter illam, & idem est sensus aliorum Theologorum, quos retuli. Quamuis ergo Deus omnia, quæ voluit fecit, quæ tamen simpliciter non facit, non oportet ut ea simpliciter velit, huiusmodi autem sunt peccata, ut vero

in actus illorum influat. & suo modo illos efficiat, satis est ut in eos etiam velit influere, non per se solum neque absolute, sed concurrente causa secunda; unde eo modo, quo hunc effectum operatur illum facit secundum consilium voluntatis suæ accommodatum tali modo concurrendi; nam æterno suo consilio prudentissime decrevit suum concursum ad hos actus præstare, & id exequitur media voluntate modo supra declarato. Et ita etiam veræ sunt omnes locutiones Augustini sumptæ cum distributione accommodata, nam voluntas Dei est principium huius effectus propter Deo est, non tamen voluntas absoluta de tali actu secundum se, sed voluntas concurrendi ad illum modo prædicto.

505 Neque oportet ut Deus absoluta & efficaci voluntate velit nostram voluntatem agere ad hoc; ut ipsa agat, sed satis est, quod eam agere permittat, aut sinat, atque adeo ut velit eam agere non simpliciter, sed sub intellecta conditione si ipsa velit.

506 Neque est in hoc exacta similitudo inter esse à solo Deo, & ideo necessaria est absoluta voluntas Dei, qua velit ei dare esse, seu creare illam; voluntatem vero agere non est à solo Deo, sed est etiam ab ipsa voluntate, & ita est ab illa, ut possit non esse ex intrinseca vi, & facultate eius, & ideo non est necesse quod Deus simpliciter velit illam agere, sed quod velit præbere concursum illamque sinere, ut sua facultate volendi, aut agendi, utatur.

Differentia inter prædeterminationem, & concursum.

507 Atque ex his facile est intelligere differentiam inter hanc voluntatem concurrendi, & voluntatem prædeterminantem: est enim multiplex. Prima, quod in voluntate concurrendi modo prædicto Deus nihil efficit se solo circa actum peccati, & ex hac parte non potest ei tribui, ut auctori. At vero per voluntatem prædeterminantem Deus se solo efficeret in voluntate nostra determinationem ad actum peccati præuiam ad illud, ratione cuius merito tribueretur Deo, & actus peccati, & quidquid cum illo coniunctum est, nam si illa prædeterminatio est aliquid physicum, & reate voluntati inhærens, illud est tanquam gravitas quædam pertrahens voluntatem ad profundum peccati; merito ergo tribueretur peccatum Deo danti talem impetum multo magis, quam motus gravis tribuatur generanti, vel quæ consequuntur formam ei, qui dat illam, vel motus projectorum imprimendi impetum. Si vero illa determinatio non est præuiam aliquid inhærens, sed efficiat motio Dei immediatius tribuendum erit Deo quidquid ex illa morione consequitur, sicut tribuitur voluntati quidquid ex brachii morione sequitur, quamvis nihil præuiam imprimat, sed ex naturali subiectione efficaciter moveat.

508 Secunda differentia est, quod voluntas concurrendi non est de se determinata ad malum actum, sed indifferens, ut explicatum est; at vero voluntas prædeterminans est ex se definita ad actum malum, & ideo ex vi eius cadit in Dei voluntatem actus malus & virtualiter saltem, & implicite malitia eius quandoquidem Deus ex solo arbitrio suo ad illum potius, quam ad bonum suum velle definit, & per illud voluntatem humanam.

I. P. Tom. II.

nam determinavit, ex vi autem prioris concursus non cadit in Dei voluntatem absolutam actus malus; sed sola permissio eius.

Tertium discrimen est, quo voluntas concurrendi, de se & absolute non est efficax, sed sufficiens, & cum cooperatione humane voluntatis habet effectum, voluntas autem prædeterminans, esset efficax ex se, & ideo ratione illius, vere diceretur Deus facere, ut faciamus malos actus; quod nullatenus dicendum est.

SUBSECTIO XX.

Divi Thomæ verba explicantur.

Circa loca Divi Thomæ, aduertit optime Suarez in primis nunquam reperiri apud sanctum Thomam in citatis locis causam primam determinare secundas ad omnes actiones earum, multoque minus reperiri apud eum mentionem physicæ prædeterminationis, præsertim respectu voluntatis liberæ; solum ergo reperitur hæc verba apud sanctum Thomam. Causa prima movet causam secundam, applicat illam, præbet illi concursum, vel auxilium tanquam primum movens; hæc autem voces recte intelligi, & exponi possunt absque illa actione prævia in causam secundam, ut supra tetigi, & nunc latius dicam.

Deinde aduertendum est sanctum Thomam ponere varios modos, quibus causa prima operatur effectus causarum secundarum. Primus est dando causis secundis virtutes ad agendum, seu formas per quas agant. Secundus est conservando eas in esse. Tertius quasi applicando virtutes, & formas causarum secundarum ad operationes, quos tres modos posuit 1. parte, questione 105. art. 5. addit etiam quartum genus movendi per modum finis, qui ad rem præsentem non spectat, & in tertio modo notanda est illa particula, quasi, quæ videtur esse conditio diminuens, non enim dicit simpliciter applicans, sed quasi applicans, & ratione huius applicationis, dicit primam causam movere secundam ad agendum, & secundam agere in virtute primæ, in toto autem illo corpore articuli nullam facit Divus Thomas mentionem illius concursus, quo Deus ut prima causa immediate concurrat ad actionem creaturæ in ipsum effectum proxime, & immediate influendo, & in solutione ad tertium in summam redigit totam doctrinam articuli his verbis; Dicendum, quod Deus non solum dat formas rebus; sed etiam conservat illas in esse, & applicat eas ad agendum, & est finis omnium actionum, ut dictum est, solum hoc posteriori loco effectum, & conservationem virtutis activæ ad unum caput reduxit, & quod ibi vocavit auxilium Dei movens, hic vocat applicationem. Neque enim dubitari potest quin per hanc applicationem Divus Thomas intellexerit aliquid distinctum ab effectione, & conservatione virtutis causæ secundæ, ut ex verbis adductis constat: ergo vel asserendum est Divum Thomam ignorasse illum concursum per immediatum influxum in ipsum effectum, vel per illam quasi applicationem hanc concursum intellexisse. Primum dici non potest, tum quia esset imponere Divo Thomæ intolerabilem errorem, tum etiam quia ibidem in solutione ad

Q 99 3

secundum